

ut supra distinct. i. Magister dixit. Et præterea Jacobus totam vim hujus sacramenti videtur constituere in oratione, quæ est forma hujus sacramenti, ut dicitur: & ideo prædicta opinio presumptuosa videtur, & erronea. Et propterea hoc dicendum, sicut communiter dicitur, quod habet formam de terminatam, sicut & alia sacramenta.

Ad primum ergo dicendum, quod Sacra Scriptura omnibus communiter proponitur: & ideo forma baptismi, quia ab omnibus dari potest, debet in Sacra Scriptura exprimi: & similiter forma Eucharistie, quæ exprimit fidem illius sacramenti, quæ est de necessitate salutis. Sed formæ aliorum sacramentorum non inveniuntur in Scriptura tradita, sed Ecclesia ex traditione Apostolorum habet, qui à Domino acceperunt, ut dicit Apostolus I. Corinth. xi. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.*

Ad secundum dicendum, quod illa verba quæ sunt de essentia formæ, scilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur; sed alia quæ sunt de bene esse, non observantur ab omnibus.

Ad tertium dicendum, quod materia baptismi habet quamdam sanctificationem per se ex ipso tactu carnis Salvatoris; sed ex forma verborum accipit sanctificationem actu sanctificantem, & similiter post sanctificationem materiæ hujus sacramenti secundum se, requiritur sanctificatio in usu, per quam actu sanctificet.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod forma hujus sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, & ex usu Romanæ Ecclesiæ, quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti: cujus ratio multiplex assignatur. Primo, quia suscipiens sacramentum hoc, est viribus propriis destitutus, unde indiget orationibus sublevari. Secundo, quia datur exeuntibus, qui jam desinunt de foro Ecclesiæ esse, & in solius Dei manu (2) requiescunt: unde ei per orationem committuntur. Tertio, quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti, & confirmatione, & transubstantiatio in eucharistia, & remissio peccati in penitentia existente contritione, quæ est de essentia sacramenti penitentia, (3) non autem de essentia hujus sacramenti: & ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum, sicut & prædicta, quantum est de se, habet certitudinem; sed potest impediri ex fictione recipientis (etiam si se sacramento subjiciat per intentionem) quod nullum effectum consequatur: & propter hoc non est simile de hoc, & de aliis sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur.

Ad secundum dicendum, quod per ipsum actum qui ponitur in forma, scilicet, *Per istam sanctam unctionem*, satis exprimitur intentio.

Ad tertium dicendum, quod verba illa indicativi modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma hujus sacramenti; sed sunt quædam dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illud per illa verba.

(2) *Al.* in quiescunt. (3) *Al.* non videtur. (4) *Al.* formæ. (5) *Al.* à Deo.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod prædicta oratio est competens (4) forma hujus sacramenti: quia tangit sacramentum in hoc quod dicitur, *Per istam unctionem*, & illud quod operatur in sacramento, scilicet divinam misericordiam, & effectum, scilicet remissionem peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod materia hujus sacramenti potest intelligi per actum unctionis, non autem materia confirmationis per actum in forma expressum: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod misericordia respicit miseriam, quia hoc sacramentum datur in statu miseriam, scilicet infirmitatis: ideo potius hic quam in aliis fit de misericordia mentio.

Ad tertium dicendum, quod in forma debet exprimi effectus principalis, & qui semper inducitur ex sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis. Non autem talis effectus est corporalis sanitas, ut ex dictis patet; quamvis quandoque sequatur: ratione cujus Jacobus hunc effectum attribuit orationi, quæ est forma hujus sacramenti.

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de administratione hujus sacramenti; & circa hoc queruntur quatuor.

Primo. Quis sit minister hujus sacramenti.

Secundo. Cui debeat conferri.

Tertio. In qua parte.

Quarto. Utrum debeat iterari.

ARTICULUS I.

Utrum laicus possit hoc sacramentum conferre.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum habet efficaciam ex oratione, ut Jacobus dicit. Sed oratio laici quandoque est (5) æque Deo accepta sicut sacerdotis. Ergo potest hoc sacramentum conferre.

2. Præterea. De quibusdam patribus in Ægypto legitur, quod oleum ad infirmos transmittabant, & sanabantur: & similiter dicitur de beata Genovefa, quod oleo infirmos ungebat. Ergo hoc sacramentum potest conferri etiam à laicis.

Sed contra est, quia in hoc sacramento fit remissio peccatorum. Sed laici non habent potestatem dimittendi peccata. Ergo &c.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod diaconi possint hoc sacramentum conferre. Quia secundum Dionysium (de eccles. Hier. cap. v. part. i.) diaconi habent virtutem purgativam. Sed hoc sacramentum est institutum ad purgandum tantum ab infirmitate mentis, & corporis. Ergo diaconi possunt conferre.

2. Præterea. Dignius sacramentum est baptismus quam hoc de quo agimus. Sed diaconi possunt baptizare, ut patet de beato Laurentio. Ergo & possunt hoc sacramentum conferre.

Sed contra est quod dicitur Jac. v. 14. *Inducat presbyteros Ecclesia.*

QUÆS-

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum unctione perficitur, sicut & confirmatio. Sed solus Episcopus potest confirmare. Ergo solus potest hoc sacramentum conferre.

2. Præterea. Qui non potest quod est minus, non potest quod est majus. Sed majus est usus materiæ sanctificatæ quam sanctificatio ejus, quia est finis ipsius. Ergo cum sacerdos non possit sanctificare materiam, nec potest materia sanctificata uti.

Sed contra. Hujus sacramenti minister inducendus est ad eum qui suscipit sacramentum, ut patet Jacob v. Sed Episcopus non posset accedere ad omnes infirmos suæ diocesis. Ergo non solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod secundum Dionysium in eccl. Hier. cap. v. part. i. sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, & quidam recipientes tantum, qui sunt laici: & ideo nullius sacramenti dispensatio laico ex officio competit; sed quod baptizare possunt in casu necessitatis, est divina dispensatione factum, ut nulli regenerationis spiritualis facultas desit.

Ad primum ergo dicendum, quod oratio illa non fit à sacerdote in persona sua, quia cum sit quandoque peccator, non esset exaudibilis: sed fit in persona totius Ecclesiæ, in cujus persona orare potest quasi persona publica; non autem laicus, qui est persona privata.

Ad secundum dicendum, quod illæ unctiones non erant sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & meritis ungentium, vel oleum mittentium consequeretur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitarum, non per gratiam sacramentalem.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod diaconus habet vim purgativam tantum, non autem illuminativam: unde cum illuminatio sit per gratiam, nullum sacramentum in quo gratia conferatur, potest diaconus ex officio dare; & ideo nec hoc, cum in eo gratia conferatur.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum illuminando per collationem gratiæ purgat: & ideo diaconus ejus non competit collatio.

Ad secundum dicendum; quod hoc sacramentum non est necessitatis sacramentum, sicut baptismus: unde non ita committitur dispensatio ejus omnibus in articulo necessitatis, sed solum illis quibus ex officio competit; diaconis autem etiam baptizare non competit ex officio.

SOLUTIO II.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod secundum Dionysium, ubi sup. Episcopus proprie habet perficiendi officium, sicut sacerdos illuminandi: unde illa sacramenta dispensanda solis Episcopis reservantur quæ (1) suscipiuntur in aliquo statu perfectionis.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al.* susceptione.

nis super alios ponunt: hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur: & ideo per simplice sacerdotes potest administrari.

Ad primum ergo dicendum, quod confirmatio imprimit characterem, quo collocatur homo in statu perfectionis, ut supra, dist. vii. quæst. ii. art. i. quæstiunc. i. dictum est; non autem hoc est in hoc sacramento: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in genere causæ finalis usus materiæ sanctificatæ sit potior quam sanctificatio materiæ, tamen in genere causæ efficientis sanctificatio materiæ est potior, quia ab eodem pendet usu sicut ab activa causa: & ideo sanctificatio requirit altiore virtutem activam quam usus.

ARTICULUS II.

Utrum etiam sanis debeat conferri hoc sacramentum.

IV. cont. Gent. cap. LXXIII.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod etiam sanis debeat conferri hoc sacramentum. Quia principalior effectus hujus sacramenti est sanatio mentis quam sanatio corporis, ut dictum est. Sed etiam sani corpore indigent sanatione mentis. Ergo eis debet hoc sacramentum conferri.

2. Præterea. Hoc sacramentum est exeuntium, sicut baptismus intrantium. Sed omnibus intrantibus baptismus datur. Ergo omnibus exeuntibus debet dari hoc sacramentum. Sed quandoque illi qui sunt in propinquo exitus, sunt sani, sicut illi qui decapitandi sunt. Ergo talibus debet hoc sacramentum dari.

Sed contra est quod dicitur Jacob v. 14. *Infirmitatis quis in vobis? &c.* Ergo solis infirmis competit.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod in qualibet infirmitate hoc sacramentum dari debeat. Quia Jacob. v. ubi hoc sacramentum traditur, nulla infirmitas determinatur. Ergo omnibus infirmitatibus debet hoc sacramentum conferri.

2. Præterea. Quanto remedium est dignius, tanto debet esse generalius. Sed hoc sacramentum est dignius quam medicina corporalis. Cum ergo medicina corporalis omnibus infirmis detur, videtur quod etiam hoc sacramentum.

Sed contra. Hoc sacramentum dicitur ab omnibus extreme unctionis. Sed non omnis infirmitas ad extremum vitæ perducit, cum quædam infirmitates sint causæ longioris vitæ, ut dicit Philosophus (Lib. de brevitate vitæ circa princ.) Ergo non omnibus infirmantibus debet hoc sacramentum dari.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod furiosis, & amentibus hoc sacramentum dari debeat. Quia tales ægritudines sunt periculosissimæ, & cito ad mortem disponunt. Sed periculo debet adhiberi remedium. Ergo hoc sacramentum, quod est in remedium infirmitatis humanæ, debet talibus conferri.

2. Præterea. Dignius sacramentum est baptismus quam istud. Sed baptismus datur furiosis, ut supra dictum est. Ergo & hoc sacramentum eis debet dari.

Sed

Sed contra. Hoc sacramentum non est dandum nisi recognoscentibus ipsum. Sed tales non sunt furiosi, & amentes. Ergo eis dari non debet.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod debeat dari pueris. Quia eisdem infirmitatibus quandoque laborant pueri, & adulti. Sed eidem morbo debet adhiberi idem remedium. Ergo sicut adultis, ita & pueris debet hoc sacramentum conferri.

2. Præterea. Hoc sacramentum datur ad purgandum reliquias peccati, ut prædictum est, tam originalis, quam actualis. Sed in pueris sunt reliquie originalis peccati. Ergo eis debet hoc sacramentum dari.

Sed contra est quod nulli debet dari sacramentum cui non competit forma sacramenti. Sed forma hujus sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum, & auditum, ut in forma exprimitur. Ergo eis non debet dari hoc sacramentum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio, ut prius dictum est; quæ quidem per quendam corporalis curationis modum significatur: & ideo illis quibus cor oralis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus hujus sacramenti, tamen oportet quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis, etiam si corporalis sanatio non sequatur: & ideo solum illis hoc sacramentum sanitas spiritualis dari potest quibus curatio corporalis competit, scilicet infirmis, sicut ille solus potest baptismum suscipere qui potest corporalis ablutionis esse particeps, non autem puer in ventre matris existens.

Ad secundum dicendum, quod baptismus etiam non est nisi illorum intractum qui corporali ablutioni subijci possunt: & ideo hoc sacramentum illorum tantum exeuntium est quibus corporalis curatio competit.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod hoc sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam: & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata est mortem inducere, & de periculo timetur.

Ad primum ergo dicendum, quod quælibet infirmitas augmentata potest mortem inducere, & ideo si genera infirmitatum pensantur, in qualibet ægritudine potest dari hoc sacramentum, quia Apostolus non determinat infirmitatem aliquam; sed si pensetur infirmitatis modus, & status, non semper debet infirmantibus hoc sacramentum dari.

Ad secundum dicendum, quod medicina corporalis habet pro principali effectu sanitatem corporalem, quia omnes infirmi in quolibet statu indigent; sed hoc sacramentum habet pro principali effectu illam sospitatem quæ exeuntibus, & iter ad gloriam agentibus est necessaria: & ideo non est simile.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod ad ef-

fectum hujus sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ: quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma hujus sacramenti confertur: & ideo illis qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere, hoc sacramentum dari non debet, & præcipue furiosis, & amentibus, qui possunt irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere; nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramenta recognoscerent, & sic eis conferri in statu illo possent.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis in periculo mortis tales quandoque sint, tamen remedium per devotionem propriam non potest eis applicari; & ideo non debet eis conferri.

Ad secundum dicendum, quod baptismus non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio; sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii: & ideo non est simile. Et præterea baptismus est sacramentum necessitatis, non autem extrema unctio.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut & eucharistia: unde sicut eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod non datur contra reliquias originalis peccati, nisi, secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortata: unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet, quæ non sunt in pueris.

Ad secundum dicendum, quod infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causate, sicut in adultis; & contra illas præcipue infirmitates hoc sacramentum datur quæ sunt ex peccato causate, quasi peccati reliquie.

ARTICULUS III.

Utrum hoc sacramentum totum corpus inungi debeat.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum totum corpus inungi debeat. Quibus secundum Augustinum (Lib. de immortalitate animæ (cap. xvi.) anima tota est in toto corpore. Sed præcipue datur hoc sacramentum ad sanandum animam. Ergo in toto corpore debet unctio fieri.

2. Præterea. Ubi est morbus, ibi debet apponi medicina. Sed morbus est universalis in toto corpore, sicut febris. Ergo totum corpus inungi debet.

3. Præterea. In baptismo totum corpus immergitur. Ergo & hic totum deberet inungi.

Sed contra est universalis Ecclesiæ ritus, secundum quem non inungitur infirmus nisi determinatis partibus corporis.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod inconvenienter determinentur istæ partes, ut scilicet infirmus ungetur in oculis, in auribus, in naribus, in labiis, in manibus, & pedibus. Quia sapiens medicus curat motum in radice. Sed de corde exeunt cogitationes, quæ coinquinant hominem, ut dicitur Math. xv. Ergo in pectore debet fieri unctio.

Præ

2. Præterea. Puritas mentis non minus est necessaria exeuntibus quam intrantibus. Sed intrantes ungentur chrismate in vertice à sacerdote ad significandum puritatem mentis. Ergo & exeuntes hoc sacramentum debent ungi in vertice.

3. Præterea. Ibi debet adhiberi remedium ubi est major vis morbi. Sed spiritualis morbus præcipue viget in renibus viris, & mulieribus in umbilico, ut patet Job xl. 11. (1) *Potestas ejus in lumbis ejus*, secundum expositionem Gregorii, Lib. XXXII. Moral. c. xi. Ergo ibi debet fieri unctio.

4. Præterea. Sicut per pedes peccatur, ita & per alia membra corporis. Ergo sicut ungentur pedes, ita & alia corporis membra inungi debent.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod mutilati non sunt ungenti illis unctioibus, quæ partibus illis competunt. Quia sicut hoc sacramentum exigit determinatam dispositionem in suscipiente, ut scilicet sit infirmus, ita & determinatam partem. Sed ille qui non habet infirmitatem, non potest inungi. Ergo nec ille qui non habet partem illam in qua debet fieri unctio.

2. Præterea. Ille qui est cæcus à nativitate, non delinquit per visum. Sed in unctioe quæ fit ad oculos fit mentio de delicto per visum. Ergo talis unctio cæco nato non deberet fieri; & sic de aliis.

Sed contra est quod defectus corporis non impedit aliquod aliud sacramentum. Ergo nec istud impedire debet. Sed de necessitate istius sacramenti est quælibet unctio. Ergo omnes debent fieri mutilati.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod hoc sacramentum per modum curationis exhibetur. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus ubi est radix morbi: & ideo unctio etiam sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum in quibus est radix spiritualis infirmitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod anima quamvis sit tota in qualibet parte corporis quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quæ sunt radices actuum peccati: & ideo oportet, quod in determinatis partibus unctio fiat, in quibus illæ potentie habent esse.

Ad secundum dicendum, quod non semper apponitur medicina ubi est morbus; sed congruentius ubi est radix morbi.

Ad tertium dicendum, quod baptismus fit per modum ablutionis; ablutio autem corporalis non purgat maculam ab aliqua parte nisi cui apponitur, & ideo baptismus toti corpori exhibetur: secus autem est de extrema unctioe, ratione jam dicta.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod principia peccandi in nobis sunt eadem quæ & principia agendi: quia peccatum in actu consistit. Principia autem agendi in nobis sunt tria. Primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva: secundum est imperans, scilicet vis appetitiva: tertium est exequens, scilicet motiva. Omnis autem nostra cognitio à sen-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Vulgata: fortitudo.*

su ortum habet: & quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet unctio adhiberi: ideo ungentur loca quinque sensuum, scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget. Sed propter appetitivam ungentur à quibusdam renes: propter motivam ungentur pedes, qui sunt principalis ejus instrumentum. Et quia primum principium est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quæ fit ad quinque sensus quasi de necessitate sacramenti. Sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant quæ ad pedes, & non quæ ad renes: quia appetitiva, & motiva sunt secundaria principia.

Ad primum ergo dicendum, quod cogitatio à corde non exit nisi per aliquam imaginationem, quæ est motus à sensu factus, ut dicitur in II. de Anima, text. clx. & ideo cor non est prima radix cogitationis, sed organa sensuum, nisi quatenus cor est principium totus corporis; sed hoc principium est radix remota.

Ad secundum dicendum, quod intrantes debent acquirere puritatem, sed exeuntes eam purgare: & ideo exeuntes debent inungi in illis partibus quibus contingit puritatem mentis inquinari.

Ad tertium dicendum, quod secundum quorumdam consuetudinem fit in renibus propter hoc quod ibi maxime viget appetitus concupiscibilis; sed appetitiva non est prima radix, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod organa corporis quibus actus peccati exercentur, sunt pedes, manus, & lingua, quibus etiam unctio exhibetur, & membra genitalia, quibus propter immunditiam illarum partium, & honestatem sacramenti, non debet unctio adhiberi.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod mutilati inungi debent quanto propinquius esse potest ad partes illas in quibus unctio fieri debuerat: quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ quæ illis membris debentur, saltem in radice, & interius peccare possunt per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

ARTICULUS IV.

Utrum hoc sacramentum debeat iterari.

1. Ad quartam sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat iterari. Quia dignior est unctio quæ fit homini quam quæ fit lapidi. Sed unctio altaris non iteratur, nisi altare illud fractum fuerit. Ergo nec unctio extrema, quæ adhibetur homini, debet iterari.

2. Præterea. Post ultimum nihil est. Sed hæc unctio dicitur extrema. Ergo non debet iterari.

Sed contra. Hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio per modum curationis corporalis, exhibita. Sed curatio corporalis iteratur. Ergo & hoc sacramentum iterari potest.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod in eadem infirmitate

B 2

non

non iterari potest (c) iterari potest (c) iterari potest (c)

non debeat iterari. Quia tui morbo non debetur nisi una medicina. Sed hoc sacramentum est quaedam spiritualis medicina. Ergo contra unum morbum non debet iterari.

2. Præterea. Secundum hoc posset aliquis infirmus tota die inungi, si in eodem morbo posset iterari inunctio; quod est absurdum.

Sed contra est quod aliquando morbus diu durat post sacramenti perceptionem, & sic reliquæ peccatorum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur. Ergo debet iterato inungi.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod nullum sacramentale, nec sacramentum quod habet effectum perpetuum, debet iterari: quia ostenderetur sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum, & sic fieret injuria illi sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus perditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis, & mentis, quæ sunt effectus hujus sacramenti, possunt amitti postquam fuerunt per sacramentum effecta; ideo hoc sacramentum sine sui injuria potest iterari.

Ad primum ergo dicendum, quod inunctio lapidis fit ad ipsius altaris consecrationem, quæ est perpetua in lapide, quamdiu altare manet, & ideo non potest iterari: sed hæc unctio non fit ad consecrationem hominis, cum non imprimatur character: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod illud quod secundum æstimationem hominum est extremum, quandoque secundum rei veritatem non est extremum; & sic dicitur hoc sacramentum extrema unctio, quia non debet iterari nisi illis quorum mors est propinqua secundum æstimationem hominum.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ: unde si in eis datur hoc sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat,

DISTINCTIO XXIV.

De ordinibus ecclesiasticis.

Nunc ad considerationem sacræ ordinationis accedamus. Septem sunt spiritualium officiorum gradus, sive ordines, sicut ex Sanctorum Patrum dictis aperte traditur, & capitulis nostris, scilicet Jesu Christi, exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit. Septem autem sunt propter septiformem gratiam Sancti Spiritus, cujus qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus Sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliore gratiam percipere creduntur.

(1) Al. ethica. (2) Al. quia eo solo. (3) Forte vox.

quod sit in periculo mortis, non recedit à statu illo nisi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi. Sed si recidivum patiat, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt agri- tudines diuturnæ, ut (1) hectica, & hidropisis, & hujusmodi; & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducat, iterum potest inungi: quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

EXPOSITIO TEXTUS.

Præter præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum. Videtur quod male ordinetur: quia cum hoc sacramentum extenuibus detur, debet ultimo poni. Et dicendum, quod alia duo quæ sequuntur, ordinantur ad bonum commune Ecclesie, vel totius humanæ speciei. Bonum autem unius est prius quam bonum multorum, quod ex singularibus bonis consurgit: unde hoc sacramentum debuit ultimo poni inter illa quæ ordinantur ad bonum unius personæ, & ante illa quæ ordinantur ad bonum multitudinis.

Quæ dicitur principalis: (2) quia in ea sola imprimatur character, & datur Spiritus Sancti plenitudo ad robur.

Capita Regum, & Pontificum unguuntur. Contra est quod Reges non unguuntur secundum consuetudinem Ecclesie chrismate in capite, sed oleo in scapulis. Et dicendum, quod illa unctio Regum non est sacramentum, & ideo secundum diversas consuetudines potest diversimode fieri. Vel dicendum, quod exponendum est, Regum, & Pontificum, idest eorum qui habent sacerdotium regale, ut pro eodem sumatur utraque (3) gens.

Sed ex contemptu, vel negligentia. Contra. Negligentia in his quæ non sunt de necessitate salutis, non est damnabilis. Hoc autem sacramentum non est de necessitate salutis. Et dicendum, quod hoc magis accipiendum est copulative quam disjunctive: non enim quælibet negligentia, sed ex contemptu procedens, vel contemptum inducens, damnabilis est.

Non potest confici nisi de pane consecrato: non quod panis consecratus sit materia sacramenti, sed quod ipse panis consecratus sit sacramentum.

Quales assumendi sunt ad clerum.

Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare. Mellius est enim (1) Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui ordinatori grave onus inducant. Tales enim decet esse ministros Christi qui septiformis gratia Spiritus Sancti sint decori, ex quorum doctrina, & conversationis forma, eadem gratia in alios transfundatur; ne cœlestes margaritas (2) spiritualium verborum, officiorumque divinarum (3) sordidæ vitæ pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet ostiarii, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotes. Omnes tamen clerici vocantur, idest sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerii divini, Corona (4) quippe regale decus significat, (5) quia servire Deo regnare est. Unde ministri Ecclesie reges esse debent, ut se, & alios regant; quibus Petrus ait, I. Pet. 11. 9. „Vos estis genus electum, regale sacerdotium &c.“ Summitas capitis desuper nudatur, ut eorum mens ad Dominum libera monstretur, (6) qua revelata facie gloriam Dei contemplantur. Summitas enim capitis est eminentia mentis, denudatio capitis est revelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tonentur etiam capilli usque ad revelationem sensuum, scilicet oculorum, & aurium, ut vitia in corde, & opere putulancia doceantur præcédenda, ne ad audiendum, & intelligendum verbum Dei præceptiatur mens, pro quo servato reddetur in excelsis corona. Tonsuræ autem ecclesiasticæ usus à Nazareis exortus videtur, qui prius crine servato, deinde ob vitæ continentiam caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc usus inolevit ut qui divinis cultibus mancipantur, quasi Nazaræi, idest Sancti, crine postea inveniantur, sicut ad Ezechielem dicitur, cap. v. 1. „Fili hominis sume gladium acutum, & que super caput tuum, & barbam.“ In Actibus etiam Apostolorum, cap. xviii. Priscillam, & Aquilam hoc fecisse legimus. Paulus quoque, & alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt, Act. xxii. (7) Recte ergo in quibuslibet gradibus constituti clerici vocantur, quorum nomina, & rationes nominum Isidorus exponens ait, Lib. VII. etym. tit. de clericis. „Cleros, & clericos, hinc appellatos esse credimus; quia Mathias electus est sorte, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Cleros enim græce, latine sortis, vel hereditas dicitur. Ideo ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum (8) patrem habent. (9) Generaliter vero clerici nuncupati sunt omnes qui in Ecclesia Dei serviunt, quorum gradus, & nomina sunt hæc, ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdos.

De ostiariis.

Ostiarii idem, & janitores sunt, qui in veteri testamento, Paral. I, cap. xxvi, electi sunt ad custodiam templi, ut non ingredereur in illud immundus; dicti autem ostiarii, eo quod præsent ostiis templi. Ipsi enim tenentes clavem, omnia intus, & extra custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde & eis, cum ordinantur, claves Ecclesie dantur ab Episcopo, & dicitur eis: „Sic agite tamquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ clavibus istis recluduntur.“ (a) Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes eiecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans, dicit, Joan. x. 9. „Ego sum ostium: per me si quis intro-jerit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.“ (10)

De lectoribus.

Secundus est gradus lectorum, Lectores à legendo, sicut psalmistæ à psalmis canendis vocati sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur, isti cantant ut excitent ad compunctionem animos audientium; licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum, lamentationemque compellant. Idem etiam pronuntiatores vocantur, (11) qui porro apte nuntiant: quia tam erit clara eorum vox ut etiam longe positorum aures adimpleant. Ad lectores autem pertinet lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ nuntiaverunt, populis prædicare, ut jam ex officio in Ecclesia legant prophetias, & lectiones: unde & ei vidente populo traditur ab Episcopo codex divinarum lectionum, & dicitur ei: „Accipe, & esto verbi Dei relator; habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his qui bene verbum Dei ministraverunt.“ (b) Qui ad hunc gradum provehitur, literarum scientia debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Atendant quid indicative, quid interrogative sit legendum, ubi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim male servata intellectum turbant, & alios ad risum provocant. Auribus, & cordi conspiciere debet vox lectoris. Hoc officium implevit Christus, cum in medio seniorum librum Isaie aperiens, distincte ad intelligendum legit: „Spiritus Domini super me &c.“ Isai. lxi. 1. Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spirituali clarere debent qui alii verbum Dei annuntiant. Hic ordo formam, & initium à Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur, Isai. lvi. 1. „Clama, ne cesses, quasi tuba exaltata vocem tuam.“

(1) Al. Domino sacerdoti: in Magistri textu separatim cuso: mellius est enim Episcopo paucos &c. (2) Al. spiritualia. (3) Al. ordines vitæ &c. (4) Al. decet quippe. (5) Al. & servire. (6) Magistri textus: quæ revelata facie gloriam Dei contemplantur. (7) Addit Nicolaus, ut ait Hugo Lib. II. de sacram. part. 111. cap. 1. ac deinceps. (8) Forte partem. (9) Nicolai, sive Domini partem habent. (10) Nicolai, ait Hugo ut supra cap. vi. (11) Idem: quod porro annuntiet: item al. qui porro ante nuntiant.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Ut ex Concilio Carthaginensi IV. c. ix. in Decretis refertur dist. xxiii. c. Ostiarius. (b) Ex c. viii. Concilii Carthaginensis IV. & in Decretis dist. xxiii. c. Lector. (10)